

In festo S. THOMAE MORI martyris
HYMNUS AD LAUDES

Humanitatem cum sapientia
si sancta nexam religio regit,
divinius nil invenitur
sic animantibus apparatis.

Inlitterata est plurima sanctitas,
scientia quod non eget extera
et simplici mundoque cordi
cuncta datur sapere intimeque.

Utraque donatum aspiciat indole
virum eruditum et pectore candidum
sale Attico nutritum ab ungue
iam tenero lacrimisque Christi.

Ad verticem ipsum scandere idoneus
summorum honorum culmen adeptus est
regisque cancellarius fit
consilii cupidi probati.

Frustra superbum commonet, obsecrat,
viis ut aequis semper eat Dei,
et Caesarem non esse papam
indocilem docuit tyrannum.

Tandem molestum carcere collocat
nequissimus rex, horribilis lues,
iurare ius iurandum iniquum
principem in indomitum negantem.

Ducem impudicoque auspice adultera
baptista ut audens carnifici datus
vultu sereno mente et aequa
supplicio caput inclytum offert.

Dignate tanto martyrio rapi
Verbi Superni testis amabilis,
Tecum Beatam Trinitatem
Angelus, Anglus adoret omnis.

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM